



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

XXVI. Quia est Fuga Dæmonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

nem. Idcirco Innoc. 3. *serm. de Assumpt. B.V.* dixit: Cùm aurora sit finis noctis, & origo diei merito per auroram designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit, finis vitiorum, & origo virtutum. Id verò à *S. Sabba Ecclesia Græca acceptum retulit in Menæa 3. Jan. ode 7.* Tu peccati spinas venenatâ cuspide pungentes, remediorum quæ præbes inundatione obtundis ò grævda Deo, benedicta & semper intacta, sineque viro Numen enixa.

### 26. Quia est Fuga Dæmonum.

*S. Ioan. Damasc. 27. Jan. ode 9.* ita Virginem salutari: Salve Portus serene! salve impermeabile, & dulcissimum Mare, quod Pharaonem spiritualem in profundum demergit: quale Mare? *S. Bonav. in spec. cap. 1.* O quam amarum & timendum Mare, hoc est Ægyptijs, ò quam amara & timenda est Maria dæmonibus! Et simul *Ecclesia Græca in Men. 4. April.* Salve Fons sanctificationis, quem nemo unquam exhauriet. *Ambros. de insit. Virg. cap. 3.* Levavit Virgo hunc mundam fœnore peccatorum. Narrat *S. Petrus Coelestinus opusc. 6. cap. ult.* de quodam milite scelerato, qui tamen quotidie manè, & serò Salutationem Angelicam Virgini dicebat. Huic pluribus annis dæmon specie famuli servivit, ut eum secum abriperet, si fortè quandò Salutationem omisisset, donec tandem per quendam virum sanctum agnitus dæmon, & repulsus. *Idem refert cap. 11.* de quodam viro devoto, qui cùm noctu Ecclesiam accedere causâ orationis vellet, vidit undique circumfusos dæmones: procidens itaque orat, Ave Maria, & statim cadunt dæmones, & hoc iterabat, quoties illi assurgebant.

Narrat *Hodeghemius part. 1. lect. 1.* de quadam puella, cùm gravissimè eam dæmon infestavisset, ac ad fenestram altiore domus detulisset, ut præcipitaret inclamavit Ave Maria, tum dæmon: Si in hac hora Mulierem illam non invocasses, occidisset te: & ipse in grandem molosseum conversus, per eandem fenestram desiliit. *S. Cyrill. Alexand. hom. 6. Ephesi dicta contra Nestorium.* Per hanc dæmones fugantur, per hanc diabolus tentator de cœlo decedit, per hanc prolapsa plasma in cœlum recipitur. *Theodor. Heracleota Psal. 44.* verba illa: *Astitit Regina à dextris tuis*, ita de nostra Diva interpretatur. *Alius pro Astitit legit: Stabilita est*, id est firmiter, & immobiliter stetit, nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam. *Ex quo S. Theoph. orat. in Men. 16. Jan. ode 5.* Multorum me scelerum ò intaminata, oneribus prægravem alleva. *Et 17. Jan. post oden 3.* ò inculpatissima Conceptoris Sponsa me celeriter à dæmonum machinationibus erue. *Et ode 8.* O intaminata

minatissima Genitrix Dei, inflictas à peccato cicatrices emunda. *Meneol. sic illam salutat. 9. Mart. in Vesp.* Salve quâ nihil unquam magis peregrinum inter mortales auditum, salve paradisi Lignum, ab ipso Deo plantatum, salve Extirpatrix doctrinam, salve ô Gladii utrinque acute, hostis caput nostri abscindens.

27. Quia unica est salutis nostræ Via.

*S. Germain. Patriarcha serm. de Zona Virg.* Nullus est qui salvus fiat, nisi per te Virgo Sanctissima, nemo est qui liberetur à malis, nisi per te purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te ô castissima, nemo est cui misereatur gratia nisi per te ô honestissima. Et *Ireneus* docet Mariam universo generi Causam esse salutis. Verissimè *S. Ioseph. Confess. 7. Martij.* Qui te non ut Deiparam agnoscunt, & colunt, hi luminis ex te geniti aspectu nunquam perfuerunt. Optimè *Bonav. tom. 2. opusc. de spasm. B. V.* Qui neglexit illam (hanc Virginem) morietur in peccatis suis quia ut *Richard. à S. Laur. lib. 2. p. 1* Salus nostra in manu illius (Mariæ) respiciat non tantum Domina, & læti serviemus Filio ejus. *Idiota in Prologo.* Per ipsam, & in ipsa, & ab ipsa, & cum ipsa, habet mundus, & habiturus est omne bonum. *Richard. à S. Laur. serm. 12.* Ideo trahi petit à Maria fidelis anima, quia Filius quodammodo dicere videtur de Matre. Nemo potest venire ad me nisi Mater mea suis precibus traxerit eum. *Et Idiota. cap. 1.* Sicut nemo venit ad tuum Filium super benedictum nisi Pater traxerit eum, sic etiam quodammodo ausim dicere, quod nemo venit ad Filium tuum gloriosissimum, nisi tuis sanctissimis subsidij traxerit eum. Iterum *Richard. à S. Laur. apud Navar. Electorum lib. 4. num. 135.* Sicut impossibile est de tenebris noctis venire ad lucem, nisi mediante aurorâ, sic impossibile est de tenebris vitiorum venire ad lucem gratiæ, & virtutum, nisi mediante intercessionem Mariæ. *In eundem sensum et Idiota contempl. 16.* Et quid, Bmâ Virgo peccator faceret; si tuam misericordiam retraheres ab eo? sicut tuâ misericordiâ juvante peccator perire non potest; sic etiam te tuam misericordiam retrahente impossibile est ut non pereat: Tua namque misericordia sustinet peccatorem, & Dei mitigat iram erga ipsum. Credo & expertus sum Virgo benedicta, quia nisi misericordia tua subvenisset, & indignatio, & iudicium Dei super me venisset, quia in peccatis nefandis, & horribilibus tempus miseræ vitæ consumpsi. *S. Greg. VII. P. p. lib. 3. epist. 22.* Scribe in corde tuo quia summa Regina cœli quæ super omnes Angelorum choros exaltata esse creditur, quæ est Decus & Gloria omnium mulierum, imò Salus & Nobilitas omnium electorum. Et quid aliud Christus indicavit jam gloriosus, cum volens gloriam suam mundo per Magdalenam propalare, se in horto videndum exhibuit? scilicet conclusum Hortum nostram Virginem vocat